

V C.  
2531





h. 3, 18.

Vc  
2531

ILLUSTRIS THALAMUS  
SERENISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS  
ET DOMINI

DN. CHRISTIANI ERNESTI,

Marchionis Brandenburgensis, Ducis Magdeburgensis,  
Prussiae, Stetini Pomeranorum, Cassubiae Vandalorum: in Silesia Croznae,  
& Jagersdorffii: Burggravii Noribergensis: Principis  
Halberstadii & Mindae, &c.

ET

SERENISSIMÆ CELSISIMÆq; PRINCIPIS-VIRGINIS  
AC DOMINÆ

DNÆ ERDMUTH SOPHIÆ,

DUCIS SAX. JUL. CLIV. MONT.

Europæ NOBILITATIS DIVAE Incomparabilis,  
SERENISSIMI, AC POTENTISSIMI PRINCIPIS  
ET DOMINI

DN. JOHANNIS GEORGII,

HUJUS NOMENCLATURÆ SECUNDI,

Ducis SAXONIAE, Juliaci, Cliviæ Montiumq; , Sacri  
Romani Imperii Archimarschalli & Electoris, Landgravii Thuringiae,  
Marchionis Misniae nec non Utriusq; Lusatiae, Burggravii Magde-  
burgensis, Comitis Marcæ & Ravensburgi, Domini  
in Ravenstein, &c.

UNICÆ FILIÆ.

Cum

SERENISSIMUS PRINCEPS-SPONSUS  
magno apparatu Chemnitium;

*Augustam petiturus Dresdam,,*  
*ingrederetur,*

Humillimâ Veneratione  
HONORATUS

A

SERENITATIS EJUS

*Obsequiostissimo Cive & Subdito*


Friderico Holtzmanno, SS. Theol. D.

Ecclesiæ Chemnicens. P. & Superint.

Ejusq; Collegis.

CHEMNITII,

Typis JOHANNIS GABRIELIS GÜTNERI.





Rgò, qvem dio jussu PIETATIS & ARTIS,  
Ingenuæ; Phœbo, Charising; volentibus Ipsis,  
Transvehit aureolis per Sidera FAMA veredis,  
Et qvem deportat trans Tænara, transq; remotas  
Tethyos ambages, Atlanteosq; recessus

GLORIA, & insculpsit Cedris vivacibus Eius  
Grande Decus: qvem mente animi, qvemq; au-

ribus hausi,

Qvemq; domi tacitus venerabar ab Indole Famæ,

CHRISTIAN-ERNESTUM: (solum qvod Nomen ad instar

Cœlitis eulogii) toties qvem cernere votum,

Spesq; mihi fuerat, FRANCUM qvia NUMINE COELUM

Implet, qvà sese BYRUTHUM & CULMINA BACCHI

Extollunt, Cœlog ostentat Norica Tellus,

Et natale Solum, mea qvod Cunabula vidit,

MARCHIONUM Decus & pranobile Sidus inaurat;

Tandem CHEMNITII, hîc ubi CHRISTI Ecclesia verbo

Pascenda est, oculis his usurpare licebat.

Scilicet ILLE MEUS cùm dextris MARCHIO Tædas

Auguriis astris subducto incenderet igne,

Inqve novo Flammam sentiret SAXONIS igne,

Qvem penitus, magis atq; magis traxere Medullæ,

His vidi præsentem oculis. (Ego Lumen utrumq;

Testor, Spectâclum mihi visum haud pulcrius ullum.)

Ibat enim PRINCEPS, patriâ Gente Inclutus HEROS

Magno Eqvitum, Peditum numero, Currûmq; crepanti

Circum-nube-datus: Procerum Confortia qvæso

Qvanta aderant? En hîc SAXO comitatur Euntem

Stipatus Divis, Aliis excelsior; illic

Lætitiae in partes it Nobilis Ordo Virorum:

Magna minorq; Tribus: Musæ comitantur Eentes:

Cuncta crepant, & cuncta sonant, & cuncta reclamant,

Gratanturq; initum Charites, ninguntq; Rosarum

Floribus, & Cypris, & Zephyrus Floræ ille Maritus.

Sparsa Dies meliore jubâ, caudamq; repexi

Blandius elato surgunt temone Jugales,

Solis Eqvili etiam sese agglomerante Caballis.

Flos

Flos Urbis pariter se festis induit Armis,  
Cumq; Magistratu, pl̄ebes jurata Clientum  
SAXONI, stat devota animis, Juveniq; Seniq;  
Omnibus iūdem animi; par est Concordia, par est  
Gratandi obseqvium: Jusso PATRIS omnia parent,  
Confestimq; cincta documenta ascetica pugnæ.  
Ipsa etiam PIETAS Templi de vertice spectat,  
Atq; Aræ fumant votis precibusq; calentes.  
Vox una est SALVE: SALVE VOX omnibus Una est.

Ast qvid Ego: PATRIAE cui cernere PRINCIPIS Ora.  
Contigit, ingenti qvi Mente & Pondere Sensūs.  
Utitur in CHRISTI Mystras VERBIQ; MINISTROS?  
Parvum, inqvam, fuerit modò Cernere: Cernere multis  
Est commune etiam: At, PRINCEPS si vota Clientis  
Lumine dignetur clementi cernere, magnum est.  
Hoc mea mens satagit, Collegarumq; mereri  
Gestit idem punctum Biga. Hinc Musâ auspice malint  
Sublimes cantare modos, nisi fortè Facultas.  
Deficeret cupidos, nec obesset curta supellex.  
Illustri Illustres scimus qvod Carmine digni,  
Qvod nostræ haud opis est: nostrūm vel cuilibet etsi  
Nectar odoratas & Smyrna & Mantua Laurus.  
Quid dicam? qid non dicam? qvæ Lemmata nostros  
Depingant sensus? præstringunt Lumina mentem,  
Qveis clares PRINCEPS, surgit qvà Vesper & Eos.  
Qvando tamen PIETAS PATRIAE, & TUA GLORIA Princeps  
Me jubet, ausurus potius sermone pedestri  
Adrepam per humum, qvò cultu in tempore maestem,  
Et Genua HEROIS votivo carmine adorem,  
Qvām culpari: Animos rerum SPES ipsa feraces,  
Et PATRIA INGENIUM dabit, & CLEMENTIA tanta  
CHRISTIAN-ERNESTI vires, in Imagine cuius  
PALLADIS ARMATAE vivit cœlestis Imago.  
Nempe salutari & trepido pallore timeri  
Eminūs expectant Alii: sed Cominus ILLE,  
Qvos aut Doctrinæ, aut Virtutis splendor honestat,  
Affatu dignatur, & hæc qvafsi propria Virtus,  
Qvis dubitet parili qvin dignatura favore  
Nos siet? Excelsas Aqvilas imitatur: at Illas  
Terrestri atq; humili non raro colle sedere,  
Nec semper qvæ celsa adeò, captare videmus.  
Haud timeas igitur Collegarum ordo referre

Verba Duci, p̄tēit qvæ nostra vīcaria Līngva; Et tūtō resōnes, animat qvæ nostra Thalia.

SCILICET hoc unum dēerat TIBI, Maxime PRINCEPS.

Princeps, qvī Senium juvenili in Pectore condīs.  
Nam vix intāitus flammantia lumina Phœbi  
Ilicet appellas Phœbum, Phœbiq; Sorores  
Vagītu, & blandas Charites, & Pallada doctam.  
Pōst Tecum Puero lallavit Gratia concors  
Ingenua æternæ Mentis Præludia cernens,  
Edocētusq: statim Sophiæ Themidosq; Magistris,  
Qvæ natum Alcmenā docuit Rhodopeius Heros,  
Et qvæ Peliden fortē Phillyrius Heros,  
Et qvæ Magnus Alexander tenuit Doctore Stagiræ  
Mens imitata Polum nec iis contenta, calentes  
Sole alio Terras invitare Pectora Sangvis  
Pulsat adhuc, ardorq; ingens atq; Indolis altæ  
Conscia Mens rāros Naturæ rumpit in ausus  
Per varias Populorum Oras & Mœnia rapta.  
Unam collectum mundum es miratus in Urbem,  
Qvæ fabricata manu divinâ in tergora Nerei.  
Parthenopen nōsti, docti qvæ busta Maronis,  
Magnos ante Duces qui scripsit, monte teguntur;  
Atq; ubi Fabra Parens & rerum Perfica, causis  
Ultrò suppressis, qvām plurima mira recludit:  
Romæ miratus Patres, atq; Insula Patrum  
Te mirata: potes proprii testamine visūs  
Testari, qvantum PETRO mutatus ab Illo  
Dis PETRUS, & qvanta malè Majestate feratur.  
Dux Florentinus, quo nec florentior ullus,  
Obstupuit Mentis dotes, & flammea Corda,  
Ingeniumq; Tuum, qvod habes maturius annis:  
Qvo qvoq; non veritus Tibi Corda recludere Opesq;,  
Et Mediolanum Te Gallia Clara cis Alpes  
Prolicuit. Namq; ingenio Tibi largior Alas  
Sollicitè Natura dedit, qvas Corpore demsit.  
Vernacla hāud solum hinc potis es cognoscere Līngvā,  
Qvæ dedit eloqvi Romani maximus Autor;  
Sed qvoq; scis voces audīre idiomate Līngvæ  
Italicæ, Gallæq; & eodem reddere sensus.  
Omnia si recitasse velim, proh! qvanta patescunt  
Æqvora! cui Laudi Pindus non sufficit unus.  
Scilicet hoc, inqvm, Tibi dēerat, maxime PRINCEPS,

Ut de

Ut de SAXONICA caperes TIBI GER MEN HONORUM  
RUTA, qvod fieret Thalami Pars, divaq; RUTAE  
Sêcla propagaret, ceu CHEMNITIANA SEBEA  
Autumat. Ingredere, Ingredere oxyus, Optime PRINCEPS:  
Lux sperata oritur: qvid Gaudia tanta moraris?  
Cernis, ut ulvosum gelidis Caput exserat undis  
ALBIS? Teutonidum Rector venerandus Aqvarum,  
Qui fors undeno de Fonte elabitur orto  
Hercinii Montis fœtis radicibus, ALBIS,  
Et pede proclivi properat de Fœdere Amorum  
In Mundum immensum latè sua gaudia fundens.  
Ingredere, ingredere, ô PRINCEPS, Tibi cuncta patescunt:  
Desuper aurimicis radiat plaga lucida Cœli,  
Fratresq; Æolii, qvorum sub Numine surgit  
Tempestas, claudunt resonantes carcere Ventos.

DRESDIAS, ENSIFERI Sedes fortissima, qvæ se  
Vallat aqvâ, & celsâ solidi compagine muri,  
Armi potens vibrat fulgentia viribus Arma,  
Ut Tibi Principibus solitum qvoq; reddat Honorem,  
Et Tonitus, mittitq; cavis è Molibus ignes,  
Nec non sulphureo fumantem turbine cannis  
Exturbat Sclopum, Fulmenq; imitatur Olympi,  
Qyo Cœlum HEROEM Cœli de semine honorat.

MARCHIO SPONSUS adest; plenis occurrite Portis,  
Atq; novum unanimi Pæanem pangite voce:  
Dixit; & ambrosiâ corpus reverenter inungit,  
Certatimq; diem venit Urbs cultura sacratum.

Sed primùm ad Delubra ruunt, Arasq; frequentant,  
Et pendent toti divina Docentis ab Ore;  
Cordeq; devoto mittunt ad sidera Vota,  
Vota qvibus DUCIBUS nil non cœleste reqvirunt.

Ipse VVITICHINDUS, tribuit cui CAROLUS auspex  
Nomina SAXONICI DUCIS; atq; Hoc Stemmate, BRUNO,  
„ Qui satus: ALBERTUS Romani Dextra vocatus  
Imperii; atq; olim Terror MAURITIUS Orbis,  
Et RELIQVI qvotq; MANES, JANIQ; GEORGI,  
MARCHIONESq; DUCES, DIVI longo ordine PATRES,  
„ HOCCE reviviscunt qvorum décora alta NEPOTE,  
Desuper è Cœlis Capita exseruere Verenda  
„ Spectatum SPONSUM, sacris ex Ossibus ortum  
Ultorem Stirpis, qvi Gentem instauret avitam.

Atq; LUTHERIADES, Cœlo plenissimus olim,

Mosi par Zelo, Tharsensi congregener Ipsi,  
Teuto, Propheta tuus, Cœli de fornice spectat  
Gratatum nobis de Religionis Amore  
Jesu prognatae, depuratæq; Lutherò,  
Qvo fervet PRINCEPS Fidei, & Fidentis Asylum:  
CHRISTIAN-ERNESTUS, Res & Christjana per Illum  
Floreat & vigeat, viguit ceu Sangvine Avorum:  
Dixit, & ingeminat votum triplicatq; petitum.

Et CRUCIGER Tibi Apex Templo succlamat ab Ipso  
Vota, qvibus Cœlum flagrantia corda fatigant,  
Non liqvidis solum fidibus; sed voce sonorâ  
Qvæ Litui sonitum superat sonitumq; Tubarum.

Exin sacra Dœo postqvam fecére, revisunt  
Gaudia conjunctis animis, Geniumq; salutant.  
Alma Ceres, Liberq; sinu Bona divite fundunt,  
Heroesq; parant longis Convivia Mensis,  
Instaurant Epulas certatim, atq; inde FRATRUM  
Crateras læti statuunt & Vina coronant.

Ignipotens mirâ arte rotat Fulgetra sub Astraris  
Noctu Vulcanus, liqvidamq; è sulphure glebam  
Evomit, & varias (visu mirabile) Formas  
Eruat, velut ex Atnæ Liparæq; caminis,  
Lætificisq; Illas flammis per sidera librat.

Heic, qvi fortè velit celeri certare Sagittæ  
Ex Arcu, & missis contendere in aëre Telis  
Plumbatâve velit pugnam committere glande,  
Tros Rutulusve siet, modò Civica Fœdera mittant,  
Hospitibus facile admisis admittitur Hospes;  
Illic Heroës glomerant Certamina misti  
Nobilibus, longo redimunt qvi stemmate Famam,  
Et pariter propria & Majorum laude superbi:  
Non mora, non reqvies, subito concurritur, inq;  
Qvolibet ancipitis Certaminis æstuat Ardor.  
Fallor? an in Circo natos ad bella videmus  
Férvere Cornipedes, suspensaq; volvere crura,  
Et librare pedum alterno vestigia passu?  
Cernis, ut inflammet popysma, potirier auro,  
Sessoremq; dari Victorem: At cœtera Pubes  
Sistitur: atq; sibi loca convenientia qværunt.  
Et qvis fando potest Fabricas, Operasq; fabriles,  
Aut hilares Oculorum Epulas, Spectacula miri  
Nominis & Numeri, dederit qvæ Inventor Epæus,

Exprim

Exprimere? haud centum resonent si vocibus ora,  
Multifidusq; ruat centum per pectora Phœbus.

Singula Magna eqvidem: Ast toto Tibi gratius Orbe  
Hæc præter MUNUS contingit: Amabile MUNUS  
SAXONICAE RUTAE: Formæ Spectamen, Amatrix  
Virtutum: Myriæ Nympharum Heroa Virago  
Unica, MARCHIONI Dextram qvæ jungere gestit,  
Et DUCIS esse Boni Conjunx; Ipsa Optima PRINCEPS,  
ERDMUTH Corde humilis; Cœlesti Mente SOPHIA;  
HEOIS talis, vix qvalis amabitur Ulli.  
Scilicet agnovit Divorum à Sangvine Gentem,  
Virtutesq; pias, qveis Mens Heroa coruscat,  
Ante Rosasq; alias svaves exhalat Odores.  
Hinc Fax igneolis succrevit Amoris Ocellis,  
Læta per amplexus haud ut DUCIS ire negarit,  
Deduxitq; Manu, Solioq; exceptit Avito.  
ILLA Tibi RUTAE DE GERMINE plectile SERTUM  
Consecrat exsuperante, Orbis qvas educat, Herbas.  
SAXONICORUM etenim Rutata Insignia REGNVM.  
Accipe, qvod tradit JOVA Heroina VOLENTE!  
Accipe SAXONICAM RUTAM, qvâ DRESDA coronat!  
Grata Tuis Oculis RUTA est, Celfissime Princeps,  
Exhilaratq; Oculos pulcrum Hoc Generamen Ocellis,  
Aspectuq; suo Tua lucida Lumina pascit:  
RUTA virens arcet perimitq; comesta Venenum:  
RUTA vírore suum gerit Immortalis honorem,  
Nec folium RUTAE brumalia tempora lœdunt.  
Nomine vel Solo hoc potes immortalis haberi.  
Nam magna utilitas RUTAE, Vis maxima RUTAE EST.  
Ergo Ministerium nostrum de pectore tantos,  
Ceu jubet Eusebie, gratari gaudet Honores.

22 SALVE! Connubio Magnæ utere Principis HEROS  
Felix; Connubio Magni utere Principis æqvè  
HEROIS! Majorum Biga propage creata  
Hectoreā, Seros ô digna videre Nepotes,  
Et Pylios æqvare dies & flore senili  
Fato præscriptas Ævi transcurrere Metas!  
Edita GERMANOS Vos HECTORAS, edite ACHILLES!  
Vobis MARCHIONES Germania nostra renasci  
Cernat! Spes animate novâ Spe Gentis, in hoc se  
Summa omnis Voti consumit! Crescat Uterq;,  
Qvaliter enodes perhibentur crescere Cedri!

SALVE



Ko. 2531. FR

- „ SALVE SAXO Pater Patriæ! Tu JANE GEORGİ,  
Semideos inter, totum Virtutibus Orbem  
Complens egregiis Cœlo Te laudibus infers  
Romani Imperii Septem - Vir & ampla Columna!  
Nunc TUA, REGINAEQ; TUAE nunc Sola VOLUPTAIS  
Fido Arces Patrios HEROIS Amore relinquit:  
Ergo vive SOFER, GENEROQ; patrante Secundi  
Indue nomen AVI trieteride terq; qvaterq;!
- „ SALVETO generosus Amor; SACRA NOMINA FRATRUM:  
HEROUM palmare Decus, qvod Solis ab Ortu  
Solis ad occasum fert Gloria, Dextra JEHOVAE  
Principibus Vos HIS æterno Fœdere nequat,  
Fœdere perpetuis Adamante tenente Catenis!
- „ SALVE JANE GEORGİ Animis & Corpore, RUTAE  
Mascula Spes, Mysia gentis magnum INCREMENTUM!  
Vive diu, atq; pio cum PRINCIPE Fœdera pange,  
Fœdera, qvæ seros maneant qvoq; salva Nepotes!  
Qui prior est Cœlis, magna fundamina Terræ  
Qui posuit, circumq; illam Neptunia regna;  
Et Christus Patris Suboles, primusq; Salutis  
Inventor, Patriiq; Deus reparator Olympi,  
Adstite Cœlesti Vos Flamine protegat OMNES  
Æternum servans Cœleste LIGAMEN AMORIS!  
Illo nostra SALUS qvia RELIGIOQ; FIDESQ;,  
Magnum post JOVAM, solūm Tibicine fulta est.
- „ TANDEM da veniam PRINCEPS, si Buccina Laudis  
Non sumus apta Tuæ: ne dedecoriq; probroq;,  
Exiguis verbis qvod vilis Musa molesta est,  
Vertas Confessis: Tantis perstringimur Astris  
Et jam visus hebet pavidis. Te Nubibus abde,  
More Deum. Verum, si fas est, denuò vultum  
Exsinua paulum Nimbo, dignareq; dextro  
Nos punto dicens: PIETAS Spectata meorum est.

FINIS.

2531

ne

**ULB Halle**  
004 788 842

3



WSPK



d. 3, 18.

Vc  
2531

ILLUSTRIS THALAMUS  
SERENISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS  
ET DOMINI  
DN. CHRISTIANI FRNESTI,

Marchionis J.  
Prussiæ, Stetini P.  
& Jäger

agdeburgensis,  
in Silesiâ Crosnæ,  
Principis

SERENISSI

DNÆ

D

Europæ

SERENIS

D N.

HUJ

Ducis SAXO

Romani Imperi

Marchionis J.

burge

SER

Frid



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SAALE)